

rum criminum convincamus; placet primùm omnia, quibus nititur, argumenta ab Auctore proposita percurrere, eorumque vanitatem ac futilitatem liquidò demonstrare.

RESPONSIONIS

PARS PRIMA.

Argumentorum hujus opinionis refutatio.

Scopum Auctoris esse diximus, ut ostendat, cuilibet qui modò sibi internum Dei cultum in abditis cogitationibus intactum relinquat, liberum esse regimini quamvis pessimæ inter Christianos sectæ, tam serviliter se subdere, ut etiam sagacissimum inquisitorem fallat, & ne hæreseos in arcano abditæ convinci possit, planè impediatur. Argumenta tam suspectæ sententiæ eodem ordine quo ipse Auctori usus est collocabimus. Quorum fundamentum est quòd omnes sectæ ratione infallibilis de æterna salute certitudinis sint sibi æquales, hoc est, nulla earum sit per quam homines qui ei assentiuntur certiùs æternam salutem consequi possint, quàm qui alias sectas sequuntur. Unde tacitè concludit, nulli sectæ tam firmo & valido vinculo quenquam adstringi, quin illud abrumperere liceat, quoties
id